

D. D.

SPECIMEN THEOLOGICUM,  
CRISIN MODESTAM  
IN LOCA QUÆDAM  
SCRIPTORUM  
THEOLOGICORUM  
CONTINENS,

---

QUOD,

CONS. MAX. VENER. FACULT. THEOL. IN REG.  
ACAD. ABOËNS.

PRÆSIDE

VIRO MAX. REVER. ATQÜE CELEBERR.

D: NO MAG. CHRISTIANO  
*CAVANDER,*

S. S. THEOL. PROFESS. REG. ET ORB.

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFERT

JOHANNES STRÖM,

PHIL. MAG. ET CORRECT. SCH. TRIV. BJÖRNEB.

IN AUDITORIO MAJORI DIE XXV. OCTOBR.  
MDCCLXXXIII.

HORIS A. M. CONSVENTIS.

---

ABOÆ,

TYPIS VIDUÆ REG. ACAD. TYPOGR. JOH. C. FRENCKELL.





### §. I.

Quemadmodum Scientiae rerum humanarum temporis decursu accreverunt; ita etiam Theologia, die diem docente, auctior evasit. Hoc de ipso velut nucleo doctrinæ cœlestis intellectum nolumus, qui seiu & creditu necessaria cuilibet salvando continet, viam Salutis per fidem in Christum obtinendæ simpliciter monstrans; sed de partibus Theologiae a-croamaticæ, quas nosse ac perspectas habere totius Ecclesiæ interest. Sic intra annorum haud longam seriem quid in re Critica atque Exegetica præstitum sit, videre licet, præter alia, in operibus KENNICOTTI & MICHAËLIS, quorum posterior afferit, quod, si versionem suam Bibliorum aliquanto prius inchoasset, minoris ea fuisset pretii. (a) Non permittit instituti ratio, per singulas Theologiae partes eundo, vel leviter earum attingere accessiones. Virorum Celeberr. KRAFTII, ERNESTI, WALCHII, MICHAËLIS, DOE-DERLEINI, SEILERI &c. librorum Theologicorum recensiones hic consulendæ sunt. Est vero harum accessionum haud exigua pars inde suo etiam modo derivanda, quod multa subinde in lucem edantur, quæ ita sunt comparata, ut de iis Theologi non conveniant,

A

ant,

ant, quæque proinde hī, in diversis contrariasque  
fententias abeuntes, castigando, emendando, immo &  
obelo nonnunquam notando, fuse saepe exequunt.  
Neque quis, qui perpendit ex sua quemque mente  
suoque ingenio cogitare ac scribere, hominisque esse  
humani quid pati posse, mirabitur, etiam in Sanctio-  
ri hac doctrina, & partibus præcipue minus funda-  
mentalibus, quod uni placet, alteri non arridere, non-  
nullaque animadvertisenda semel iterumque occurrere.  
Quæ hoc respectu observanda nobis, temporis angu-  
stia pressis, primum succurrerunt, haud magni licet  
intersit, qua urna nostri serventur calculi, ea, Speci-  
men hoc Theologicum edituri, Tuos, B. L. ante o-  
culos ponimus, mitiorem expetentes censuram.

---

(a) Vid. Præf. ad lib. *Zobi* in ejus *Deutsche überset-  
zung des Alten Testaments.*

## §. II.

Svadet ordo tractatiunculæ, ut initium dicendo-  
rum faciamus ab iis, quæ in primis Systematum sive  
Scriptorum Theologicorum paginis adferri solent. Di-  
visionis itaque Theologiae in varias species primum  
nobis in mentem venit. In hac Theologi multum di-  
screpant. Nonnulli eam, saltem pleniores, non ma-  
gni usus esse declarant. Mancam ac deficientem ple-  
rique exhibent; quosque plurimas dividendi rationes  
inuisse videmus, per omnes partes hand concordant.

Sed

Sed aurem nobis quis quasi vellit, urgens, ut dum  
alios defectuum in dividenda Theologia insimulamus,  
ipfi meliorem & expletam magis tradamus divisio-  
nem. Id mihi non sumo, ut omnibus absolutam nu-  
meris propinare eam in animum inducerem; quæ ta-  
men visa est mihi aptissima & conveniens maxime,  
illam hic allegare sustineo.

Prima divisio, quæ & generalissima audit, ratio-  
ne *subjectorum* instituitur, quæ sunt Deus & creaturæ  
intelligentes, in *Archetypam* & *Ectypam*. (a). Prior  
competit Deo, (b) posterior creaturis. (c). Hæc cre-  
aturæ sunt angeli & homines; unde *Ectypa* in Theo-  
logiam angelorum & hominum dividitur. Homines  
considerari possunt vel ut viatores in his terris ad be-  
atiorem vitam adspirantes, vel beatitate perfecta in  
cœlis ceu patria jam fruentes. Hinc Theologia *Via*  
& *Patria*, quæ posterior etiam *Comprehensorum*, *In-  
tuitiva* & *Visionis*, sicut prior *Militaris*, *Secularis*, *Sym-  
bolica* &c. nominatur. Homo ut viator spectandus  
venit talis vel ante, vel post contractam lapsu proto-  
plastrorum generi humano cladem. *Paradisiaca* igitur  
hinc enascitur Theologia & *Viatorum* stricte sic dicta.  
Hæc posterior, quam solam recentiores plerique The-  
ologiam accurate vocant, ratione *principii cognoscendi* est vel *Naturalis*, quæ in *Instam* & *Adquisitam* sub-  
tiliter satis subdividi solet, vel *Revelata*. *Revelata* re-  
spectu argumenti f. *objetti* realis, vel binarum animæ  
facultatum, *intellectus* & *voluntatis*, est vel *Dogmatica*  
vel *Moralis*. (d) Si vero spectetur secundum modum

tradandi, variæ inde exsurgent Theologiæ species, ut *Exegetica*, *Polemica*, *Catechetica* s. *Elementaris*, *Acroamatrica* s. *Symbolica*, *Homiletica*, *Historica* &c. (e).

His sic breviter allatis, quisque facile videt, nullam Theologiæ definitionem in se omnes has divisiones comprehendere posse, præter hanc admodum generalem: quod Theologia sit notitia de Deo & rebus Divinis. Neque cuiquam obscurum esse potest, in definitionem *Theologiae Revelatae*, utpote *Catecheticanam* in se etiam complectentis, non ingredi posse notionem promptitudinis veritatem cœlestem explicandi ac defendendi, cum ex præceptis Logicorum constet, quodlibet membrum dividens debere de tota divisi natura participare.

---

(a) Cum communiter fere, & quidem ab antiquioribus, recepta sit hæc divisio, eam hic retinemus, non insciī quanti ea sit facienda.

(b) Notum est *Archetypam* dupliciter considerari posse, ut hoc fieri videmus in Compendiis BENZELIANIS, præeuntibus DANNHAVERO, SCHERZERO, BARTHOLINO, WANDALINO, NEUMANNO. Primum videlicet ut tota Deo essentialis cognitio, qua se ipsum & omnia ad se pertinentia modo eminentissimo cognoscit. Deinde ut infinitæ hujus cognitionis particula, quam ceu ideam concepit mens Divina, ut nobis revelaret. *Archetypa* non priori, sed posteriori sensu sumtæ conveniens esse debet nostra *Egypta*; quam observationem magnorum Systematum autores non solum omittunt, sed nonnulli probare quoque reculant, e. g. HOLLAZIUS.

(c) Sub-

(c) Subjecta Theologiae hic enumerantes prætermisimus Christum ~~Θεοντα~~, quod vero in scheme nostro nihil difficultatis parit. Clarum enim est, *Archetypam Christo competere secundum Divinam naturam essentia-liter*, ob eandem cum Patre & Spiritu S. essentiam: secundum humanam naturam *communicative*; unde & Theologia Unionis dici sivevit; ut & *Ecclesia* secundum humanam duntaxat naturam Salvatori nostro tribuenda est.

(d) Cur ab iis, qui ratione *objectioni* præcipui Theologiam Revelatam dispescunt in *Dogmaticam*, *Moralem*, *Exegeticam* & *Polemicalm*, secessionem hic fecimus, causa est, quod divisionis regulis, quæ membra dividentia opposita esse, sive per notiones suas se mutuo excludere jubeant, contrariari eorum divisionem judicavimus. Etenim omne *exegeticum*, quod ad salutem pertinet continens, simul vel *dogmaticum* est vel *moralis*; id quod de *polemisticis* etiam valet.

(e) Quæ superflunt divisiones & partes Theologiae, ut Paradisiaca *Concreta* & *Revelata*: Temporis *ante* & *post* Christum natum: *Regenitorum* & *Irregenitorum* &c. illæ omnes suo quæque loco schemati nostro inferi, si placet, vel addi possunt.

### §. III.

In Theologia *Exegetica* nobis continuo animum subit memoria providentiae & cautionis magnæ, (a) qua, ob multiplex errandi periculum in hoc studio opus est, quod optime norunt, qui in eo occupantur. Hinc & per socias plerumque manus versiones S. Codicis fieri solent. Ill. MICHAËLIS tantam rem, quod ad V. Test. attinet, absque aliorum ope peragendam, in pri-

mis adgressus est. At vero in eum etiam quadret tritum illud: plus vident oculi quam oculus, aliorum esto judicium. (b). Liceat nobis summa cum modestia ex ejus *Deutsche übersetzung des Aten Testaments* sequentem tantum facere observationem. In versu 32. Cap. XXXVIII. libri *Jobi*, haec occurunt verba: *Kanſt du den wagen zu ſeiner zeit hervor führen! und die nachtwandrerin über ihre ſöhne tröſten?* In notis adjectis asserit fe per stellam *nachtwandrerin* nominatam intellegere unam ex Septentrionibus (Svet. *Karlwagn*) in Ursa majori, littera *a* a BAJERO signatam. Repræsentatur haec a MICHAËLE, juxta fabulam quan-dam, ut opinatur, *Hebrais* fortasse familiarem, ut ma-ter filios demortuos dolens; quia supponit eam ma-nere supra Horizontem, reliquis conspectui subductis. Haec vero stella eo minus esse potest non occidua, caeteris infra Horizontem latentibus, quo clarius quis-que videt, eam a polo remotiorem esse reliquis o-minibus, & distare a puncto nominato ultra 12. gra-dus longius ac stella *a*. In occasu igitur hujus Aste-xini stella *a* prima sub Horizontem demergitur. Ne-que ullus hic est error typographicus; quia quatuor stellas polo propiores, pro rotis plaustri habitas, spe-ciatim filiis annumerat MICHAËLIS. (c)

(a) Neglectam fortasse cautionem ostendit e. g. haec discrepantia in Bibliis nostris Svecanis (in alias versiones non contigit inquirere) quod veteriora in v. 33. Cap. XIII. *Aſtor.* citent Psalmum *primum*; ut & MICHAËLIS hunc locum vult legendum, Psalmum communiter pri-mum

7

mum præfationis loco habendum statuens; recentiora vero secundum. (Cfr. J. C. WOLFI Curæ Pbil. & Crit. in b. I.) Qui sic Psalmum 1:mum in 2:dum mutarunt, mirari certe convenit, cur non, inter alia, correxerint etiam v. 36. Cap. III. in Evang. Luce, excludendo nomen Cainantis, quod in V. Test. libris non reperitur, quodque ex versione LXX, viralì per incuriam descriptorum hoc irrepsisse contendunt Philologi, exemplaria quoque N. Testamenti, in quibus nomen hoc omissum fuit, exstitisse afferentes.

(b) Cfr. sis *Beylage zur (D. GEORG FR. SEILERS) Ge- meinnützigen Betrachtung der neuesten Schriften, welche Religion, Sitten und Besserung des menschlichen Geschlechts betreffen*, pro anno 1778 p. 289-304. ubi comparatione suis locis instituta inter Ill. MICHAELIS & Celeb DOEDERLEINE eodem tempore factam *Proverbiorum Salomonis* translationem, modo illum ab hoc superatum, modo hunc ab illo vicum esse, modo aliquid in utroque desiderari, ostendere studet recensens S.

(c) Non est præsentis instituti variorum adferre sententias, quænam stellæ per נֶגֶד & וַיְהִי in hoc versa intelligentur. Præstaret sine dubio in hujusmodi locis ignorantium fateri, quam lacunas cognitionis nostræ ut cunque explere velle.

#### §. IV.

Progedimur ad pauca ex Dogmatica Theologiae parte, pro re nata consideranda. Christum Salvatorem nostrum in saecula benedictum, ut Mediatorum inter Deum & homines, pro toto genere humano satisfecisse, (NB. ἵνα, αἰτία, I. Tim. II. 5. 6. Rom. V. 8.

Matth.

Matth. XX. 28.) & patiendo gravissimas atque infinitas peccatorum nostrorum pœnas, ut nos a reatu eorum liberaret, Jes. LIII. 4. 5. 6. 1. Cor. XV. 3. 2. Cor. V. 15. 19. 21. Gal. III. 13. Ebr. X. 14; & legem Divinam implendo, ut deperditam restauraret beatitudinem, atque ad cœlestia iterum gaudia aditum nobis pararet, Rom. V. 19. VIII. 3. Gal. IV. 4. 5. 1. Cor. I. 30; hoc ut mysterium magnum nobis revelavit summe misericors Deus, 1. Tim. III. 16. Multa hic occurruunt ad quæ nostra intelligendi vis non pertinet, quæque pia tantum cum acquiescentia in fide optime percipimus. Hinc qui hæc scrutantes, horumque allaturi rationem, per principia philosophica explicare ea gestiunt, tantum abest, ut instruendis satisfaciant, ut potius quæstionum numerum reddant auctiorem. Inter hos numerari posse etiam Cel. CARPOVIUM existimamus, cum in *Theol. Rev. Dogm. Tom. II. §. 84. Sch. 1.* agens de gravitate atque intensitate pœnarum, quas perpessus est Christus, datusque solutionem quæstionis: qui fieri potuerit, ut tantos dolores in se susciperet perferendos Salvator, cum amor sui ipsius per hoc laedi debuisset? ita scribit: "Nec jure opponi potest, quod Christus, se ipsum pro hominibus substituendo læserit amorem sui ipsius. Tunc enim valeret hæc objectio, si prior brevissima ignorantia æterna gloria non fuisset compensata. Hoc autem cum fieri deberet, passio Christi erat ipsi malum-apparens. Nam malum apparens dicimus, quod majus bonum generat. At quisquis malum appa-

rens intuitu majoris boni, inde certo resultantis, subire appetit, neutiquam amori erga seipsum adverfatur, quod ex Philosophia Morali perspectum est.<sup>a</sup> Qui perpendit æternam durationem poenarum infernaliū, (a) unico tantum homini subeundarum: qui multiplicat has poenas per numerum hominum, quos per plura jam annorum millia in terris existisse novimus: qui recordatur Christum per breve temporis spatium infinitam hanc poenarum multitudinem sustinuisse: qui exsurgentem hinc earum intensitatem, omnem humanam concipiendi vim superantem, animo volvit; pro apparenti malo non facile hos tantos reputat dolores, neque explicatione hac CARPOVII est contentus; potius quippe in eo adquiescens, quod sciat res mysteriosas, Divinitus nobis revelatas, non esse fori intellectus humani, sciat arctis admodum cancellis circumscriptas esse suas percipiendi vires, atque immensum quantum se ignorare. Aliud est ideas idēs, verba verbis qualitercumque coagmentare, aliud convincere.

Referri huc etiam possunt, quæ scribit idem auctor de reprobatione hominum, afferens finaliter non credentes, post confectum hujus vitæ curriculum, non iri punitum ob transgressionem legis operum, neque ~~ansias~~ temporariam, sed propter finalem tantum incredulitatem. (b) Minime quidem vitiosum est principium, quo hanc thesin suam superstruit, quod nimirum duplē pro peccatis satisfactionem passivam five poenam Deus non exigit; (c) interim tamen,

nonne evitans hic Charybdin CARPOVITUS in Scyllam  
incidisse censeri queat? nonne quererere jam nihilominus potest ratio: cur incassum pro damnatis Deus passus est? nonne prostant dicta Scripturæ, quæ perspicue indicant propter mala opera peccatas aeternas impios persoluturos? Eccles. XII. 14. Ezech. XVIII. 4.  
24. 26. Matth. XVI. 27. Rom. II. 6. Apoc. XX. 12.  
(d) Nonne præterea hujuscemodi doctrina portam  
pandit latissimam securitati spirituali, ut homo insuper  
habeat piam vivendi rationem, de eo duntaxat quo-  
mocunque sollicitus, ut ultimas vitæ horas Deo con-  
secreare liceat; aut sibi persuadens, si fide destitutus  
ex vita discedat, se non ob peccata quæcunque com-  
missa, sed propter solam *anxiæ* esse priuendum?

(a) Qui hodie intra ecclesiam sic dictam Protestan-  
tem, aeternitatem harum poenarum non solum pro do-  
gmate indifferenti habent, sed & in dubium vocant, im-  
pugnant, negant, non magis quam alii hujus doctrinæ  
adversarii, de quibus nunc nihil attinet dicere, accurate  
perpendunt hanc suam sententiam & multis. Sæ Sæ di-  
ctis apertis contradicere, & vitæ impietati ac securitati  
non parum conducere, & plura alia gravissima dogmata  
per illam aut extenuari ac perverti, aut penitus tolli, ju-  
stitiam nimis Dei vindicantem, satisfactionis Christi  
viciatione in hac vita adplicandæ necessitatem, ordinemque  
salutis nobis omnibus prescriptum.

(b) I. cir. §. §. 395. 1469. alibique passim. Cel. PET.  
AHLWARDT in Betracht, über d. Augspurg. Confess. II. Theil  
p. 566. sqq. eodem modo Christum pro incredulitate fi-  
nali non satisfecisse contendit, quia sic Deus duplitem  
acciperet solutionem, quod injustum esset statuere. De  
P. Mo.

P. MOLINUS, cui jam saeculo superiori eadem placuit sententia, vid. QVENSTEDTIUS in Synt. Theol. Part. III. p. 323. ne quid de *Reformatis* in genere loquar, quorum opinioni de satisfactione pro solis electis, hoc dogma appriime convenit.

(c) Duplicem utique Deo praestari posse satisfactionem pro uno eodemque peccato, alteram a Christo, alteram a peccatore ipso, quia vicariam satisfactionem amplecti noluit; neque in acceptatione hujus duplicitis satisfactionis aliquam apparere in justitiae speciem, ostendere conatur Celeb. SCHUBERTUS in Instit. Theol. Dogm. §. 210. p. 392. Illos autem Theologos accuratius omnino sentire & loqui asserimus, qui poenam quam peccator finaliter incredulus subibit, non esse novam satisfactionem regent; sed praeципue non applicatae, semel factae, perfeccissimae satisfactionis & solutionis poenam. Neque illa SCHUBERTI sententia l. c. p. 393. ex omni parte est probanda, qua ait: *Quando homo damnatur, non incredulitas, sed ipsa peccata non remissa in eo puniuntur. Puniuntur autem propter incredulitatem finalem, quatenus, absente fide, illa non sunt remissa, & hinc in ipso peccatore puniri debent.* Nonne incredulitas quoque est peccatum? Imo omnium maximum, licet non unicum, & ideo gravissimis afficietur poenis. Περὶ ἀποθνήσκοντος τοῦ κόσμου - - μετὰ αἰωνίας αὐτοῦ, ὃν οὐ πιπύσκει εἰς ζεῦ, ait Iesu, Joh. XVI. 7.-9. Et Deus debit vindictam iis, - - qui non obedierunt Evangelio Domini nostri Iesu Christi, 2. Thess. I. 8. Add. Marc. XVI. 16. Joh. III. 18. 36. Punietur incredulitas immediate, reliqua vero peccata mediante incredulitate. Zinzendorffianis etiam is tributus est error, quod hanc propositionem: upum peccatum non potest his puniri, male adplicant, dum ideo, quia omnia peccata nostra punita sunt in Christo, ea in nobis puniri non posse putant, adeoque gratiam in Christo datam esse ab-

solutam, h. e. sine fide hominibus applicari. Vid. Thes. nonnull. Theol. erroribus *Herrenbutbianorum* præcipue oppositas, Ups. 1761. auct. E. HAMMARSTRÖM & Praef. N. WALTERIO, Thes. VI. (Eo quoque eorum tendit sententia, qui salutem gentilium moratorum propter meritum Christi ignotum defendunt.) Quamvis enim Christus pro nobis omnibus satisfactionem absolute præstiterit; sub conditione tamen fidei ea unice actu fit nostra, Joh. III. 16. In vere fidelibus igitur, qui moraliter & mystice unum per fidem cum Christo sunt subjectum, Joh. XV. 2 sqq. peccata non magis puniri S. Scriptura abunde testatur. De illis autem, qui defectu veræ fiduciae laborant, & per consequens unum cum Christo subjectum non constituant, aliter sentiendum.

(d) Solide magnus jam dixit CHEMNITIUS, in Harm. Evang. p. 329. *Ut sola fides salvationis, ita sola incredulitas damnationis est adæquata & formalis causa. -- Nimirum incredulitas directe opponitur Christo ejusque merito, quod reliquorum peccatorum est remedium, & quidem unicum. Quemadmodum ergo recte diceretur, contemnum medicinae, per quam solam ægrotus a morte liberari poterat, esse causam propriam, formalem & adæquatam mortis subsequæ, etiamsi ad mortem aliae causæ concurrant; sic recte dicitur, solam incredulitatem, per quam peccati medicina repudiatur, esse unicam damnationis causam, quamvis etiam alii peccata sint damnationis causæ efficientes & meritoriae.*

### §. V.

Qui bene distinguit bene docet, proverbii loco dicitur. Modus tamen in distinguendo etiam adhibendus est. Hanc regulam qui nimiæ indulgentes subtilitati non sequuntur, rem explicandam majori saepe obscuritati involvunt. In exemplum allegamus

ver-

verba sequentia: "Sciendum est per fidem (qua iustificamur) non omnes actus fidei intelligi, sed ultimum actum fidei, seu fiduciam. Notitia nullum habet influxum in justificationem, nec assensus justificat. (a) Ergo determinans illa ratio posita est in ultimo actu fidei, qui fiducia a Theologis nominatur. Per fidem intelligimus fidem, quatenus meritum Christi amplectitur. Fides non proprie justificat; nam nullus actus mentis nostrae Deum commovet, ut nos justificet, sed illa fides, quae Christi meritum amplectitur. (b) Est figura in subiecto. Fides est continens, & contentum est meritum Christi. Continens nominat Scriptura S. & contentum intelligit. Fides non spectatur subiective a Deo sed objective. Fides subiectiva est actus mentis, sed objectiva est acceptatio meriti Christi. (c) Fides in justificatione spectatur materialiter: non formaliter. Fides materialis est fides, quae meritum Christi acceptat. (d) - - Actus mentis nostrae non habet rationem sufficientem, quae Deum commovere possit, ut nos absolvat; sed in merito Christi recondita est ratio determinans. Quoniam ergo in mente non est ratio, sed in objecto; objectum fidei justificat." (e) Ex adjectis observationibus patere existimamus non bene haec sibi constare. Optime quidem cogitasse virum, cuius haec sunt verba, supra nostras laudes positum, non negamus. Sed praeterquam quod ansam præbuisse videatur verbis inhærenti similitre ea interpretandi; per nimiam distinctionem ac differendi modum subtilem, non caute satis removendo fidem, ut actum mentis nostrae, a ratione com-

movente Deum ad justificandum hominem, effecit, ut minus clare percipiatur ejus thesis, ac aliorum, in eadem re, cum simpliciter pronunciant, propter Christi meritum fide apprehensum justificari hominem. Rom. III. 22. Gal. II. 16. Philipp. III. 9. (f)

(a) Saltem eo respectu, quod fiducia includat etiam notitiam atque assensum, priores illi actus s. partes fidei in justificationem quoque influunt.

(b) Sed nonne illa fides, quæ meritum Christi amplectitur, est actus mentis?

(c) Ipsa acceptatio meriti Christi est omnino actus mentis, adeoque fides subjectiva, non vero objectiva.

(d) Acceptationem meriti Christi, vel, ut alii accusatissimi loquuntur Theologi, passivam receptionem, s. non repudiationem ejus quod offertur, Joh. I. 12. Gal. II. 20. 21. formam fidei justificantis constituere, non autem materiam, cuivis clarum esse putamus. Denique etiam tenendum, fidem justificantem recipere & meritum Christi & Christum ipsum, quamquam diverso respectu; nec hæc duo a se invicem esse separanda. cfr. FECHTII Lect. Theol. in Syllog. Disp. XL §. 1. p. 447. sq.

(e) MOSHEIMI Elem. Th. Dogm. P. III. C. III. S. 1. §. 6. p. m. 826. Eadem occurruunt verba in omnibus tribus editionibus.

(f) Egregia sunt verba pīi SCRIVERTI in notissimo libro *Själa-Skatt* dicto, Part. II. p. 375. *Jesu Christi namn*, inquit, sättes nästan allestādes vid trones sida; själedes sätter Apostelen det tre gångor i Gal. II. 16. utan tvifvel til åt beteckna, hvadan trone så stor förmen, sådan kraft och värdighet kommer, at hon gör den syndiga själen rättfärdig, nämligen sådan, emedan hon griper uti och fattar Jesu allena, hänger sig vid och bälter bonom, och gör den kors-

*karsfåsta Jesum Christum med Hans förtjensl och blod til sin egen.* Variis modis loquendi usi sunt Theologi, ad simplicem illam veritatem exprimendam, quæ in hac §. proponitur. Præter jam allatos hi sunt præcipui; quibus tamen omnibus non delectamur; Fides non quæ credit, sed quæ creditur, justificat: non absolute & in se spectata; sed relative, quatenus Christum cum suo merito recipit: non in prædicamento qualitatis, nec quantitatis; sed relationis: non meritorie; sed organice: non active sed passive; non ut qualitas, opus, virtus; sed ut medium, ὕπερανθρώπου s. instrumentum, causa instrumentalis, causa impulsiva externa minus principalis, quæ locutio accusatoribus in primis displicuit, cum non propter, sed per fidem, qua credimus, justificemur; non ut est nostra; sed quatenus Christus per illam sit noster. Addimus verbo; illorum conatus, qui nostro ævo veritatem hanc maxime fundamentaliter labefactare studuerunt, ab aliis folidissime fuisse repressos.

### §. VI.

Cum vero etiam plus justo nonnullæ doctrinæ cœlestis partes excusæ compareant; vix crederes, immensam propemodum Scriptorum Theologicorum multitudinem cogitans, reperiri nonnihil, idque haud parvi momenti, quod adeo jejune tractant tantum non omnes, quos inspicere licuit, Theologi dogmatici, ut omissum ferme censi queat. Ipsum initium loquimur conversionis, & quidem distinctam responsionem ad sequentem apprime momentosam questionem desideramus: cum omnes homines peccato sint corrupti, & de singulis valeat, quod ex se & sua natura non possint non gratiæ Divinæ resistere: cum porro homo

homo ex se ipso sive propriis viribus nihil conferre  
 possit ad sui conversionem, sed ad instar mortui sit, qui  
 vitam sibi reddere ipse nequeat: qui fiat igitur, ut possit  
 quis converti, Deo nempe in hoc negotio vim non faci-  
 ente? qui fiat, ut unus convertatur, alter vero non, Deo  
 tamen æqualem illis largiente gratiam, & neutro illo-  
 rum ad sui conversionem ex se ipso, ut diximus, aliquid  
 conferente? Hujus nodi solutio in *irresistibiliitate* sive  
 potius *inevitabilitate* quadam gratiæ prævenientis fun-  
 datur, quam gratiæ proprietatem ne quidem pronunci-  
 are audere videntur haud pauci Theologi, & sine qua  
 tamen conversio non est possibilis. Scilicet hæc res rite  
 explicari debet, & quidem hoc modo: gratiæ præveni-  
 entis, quæ homini semper præsto est, eumque commo-  
 nefacit eorum, quæ ad felicitatem ejus æternam perti-  
 nent, ea est efficacia, ut frangere valeat hominis resi-  
 stentiam naturalem, seu repugnandi necessitatem, eum-  
 què ita disponere, ut possit non resistere, liberamque ha-  
 bere optionem amplectendi gratiam vel non. Qua opus  
 est ad conferendam homini hanc optionem, ea sui parte  
 gratia præveniens dicitur *irresistibilis* sive *inevitabilis*,  
 & consistit sæpe nonnisi in subitanea quadam rei cuius-  
 dam in mente repræsentatione sive recordatione, quam  
 impedire æque parum homo potest, ac submoveare  
 rerum imagines quarumcunque, quæ ejus vel inviti a-  
 nimo se sistunt. Hac optione si utatur homo fini Divino  
 convenienter; majori deinceps mensura gratiam illi  
 largitur Deus, usque quo plene convertatur. Vides  
 quam est elegans hæc initii conversionis theoria: quam  
 con-

congruens cum natura hominis rationalis, quem non ut truncum vel lapidem tractari convenit: quam digna Deo, quem a creaturis intelligentibus libere coli oportet: quam bene ita ab una parte *Pelagianismus* ac *Synergismus*, ab altera vero *Quietismus* evitatur. Quod autem abstineant plerumque Theologi a tribuendo gratiae prævenienti affectionem irresistibilitatis, etiam ea ex causa procul dubio factum est, ne dogmati *Calvinianorum* de absoluto decreto, ejusque consequentiis, robur adderent, vel in eorum castra transiisse viderentur; quem tamen metum fuisse vanum quis non videt?

### §. VII.

Ut in genere a demonstrationibus, quæ non strinquent, abstinendum est; ita in Theologicis rationes, quæ rem non probant, vel ideo non adhiberi oportet, quod *Antiscripturariorum* ac *Naturalistis* cavillandi occasionem suppeditent. (a) Hujusmodi rationibus e. g. accenseri possunt, quæ communiter fere usurpantur ad probandam Angelorum spiritualitatem, (qua probatione præterea carere facile potest Theologia) quod sint invisibilis: quod magna eorum multitudo in uno homine esse potuerit: quod sint subtile, agiles & qui corpora penetrare possunt. Referimus huc etiam explications minus sufficienes, quæ ad solvendam quæstionem quandom difficilem adseruntur. Exemplum harum haberi existimamus in sequentibus: "Habet hæc caussa (loquitur auctor de universalitate vocationis) multas difficultates; neque in Scripturis ratio exstat, propter

C

quam

“quam Deus hos vel illos populos nec olim vocaverit,  
“nec hodie vocat. Nihilo tamen minus possumus solu-  
“tionem adhibere, quæ maximum probalitatis gradum  
“habet. --- Quoscunque populos Deus ex omni æter-  
“nitate vidit non omni ex parte repudiatus esse invi-  
“tationem, ad eos Deus præcones Evangelii misit; quos  
“vero prævidit invitationem suam prorsus repudiatu-  
“ros esse, ad illos Dens suos ministros non misit. Ex præ-  
“scientia ergo Divina haec difficultas omnium optime  
“sfolyi potest. (b) Quotusquisque est, cui probabile vi-  
“deatur, ex stupendo hominum numero, qui luce Evangelica  
“fuerunt destituti, non fuisse ullum, immo aliquam eo-  
“rum multitudinem, quæ gratiam sibi oblatam receperisset?

(a) Non diffitemur posteriori etiam ævo argumenta ad-  
“hibita fuisse, nonnunquam in Dogmaticis & Exegeticis, sapi-  
“us in Homileticis, quibus nervus deest ad probandum; sed  
“nihilominus conviciatores sunt, qui argumenta nihil proban-  
“tia in genere vocant *Theologica* & *Homiletica*, & cum nonne-  
“mine quoque gariunt: *Il faut laisser sa raison & sa Logique*  
“à porte de l’ Eglise, pour être édifié des Predications; quasi ni-  
“hil solidi in partibus nominatis occurreret, aut sermones ad  
“populum habitu nunquam examen rationis & Logicæ susti-  
“nerent.

(b) *Mosh. I. cit. p. m. 817.* Neque tamen solus ita ratioci-  
“natur. Quod observatum est in §. 5. not. e. etiam hic valet.

